

Stephanus Galdeti

*Utrum verbum divinum eo
quod est humanitati se iungens
omni loco seu alio divino
supposito quis debeat plus amare*

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
22.07.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

Project NOTA-ERC

|| **Utrum verbum divinum eo quod est humanitati se iungens omni loco seu alio divino supposito quis debeat plus amare.**

P1 11v

Prima conclusio: etsi verbum divinum cum precisione cuiuslibet alterius increate persone sit terminus unionis in carne, nullatenus tamen
5 potest cum dicta seclusionem fore terminus unionis in mente illius qui ipsum beatifice intuetur.

Contra istam sic: non plus implicat contradictionem unam personam videri intuitive alia non visa quam unam incarnari alia non incarnata, igitur divine omnipotentie eque est possibile. Antecedens notum est, quia
10 neutrum implicat, cum non sint eiusdem omnino subiecti contradictoria predicata et propositiones etiam de forma sunt omnino similes. Et consequentia tenet, nam quidquid contradictionem non includit fieri vel esse est a Deo scibile. Confirmatur, nam videri est abstractivum et spirituale, ut videtur, quid sit incarnari vel uniri ypostatice, igitur multo
15 fortius potest communicare uni persone sine hoc quod communicat alteri quam incarnari, cum abstrahentium non sit inde datum, separantium vero bene.

Item, si conclusio foret vera, hoc maxime foret, quia videri est agere in ratione oppositi, incarnari vero non. Sed hoc non obstat, nam non
20 quolibet videri est agere, cum ipse Deus omnia videat et omnia a Deo videantur, nichil tamen in eum agit.

Similiter potest Deus se solo agere visionem mediante qua anima utetur circa oppositum.

Similiter ipsam visionem destructo vel absentato oppositi se solo
25 potest in anima conservare et anima videbit et oppositum abstrahens videbitur, nichil tamen aget, igitur videri non quodlibet agere, igitur non obstat quin poterit uni persone convenire non conveniendo alteri, non obstante quod opera trinitatis fiunt indivisa ad extra.

Ipsam vero incarnari est terminare dependentiam nature assumpte, igitur est esse causam et agere. Nichil enim terminat dependentiam
30 alicuius creature, nisi eius causa cum creatura nulla nec assumpta nec non assumpta ab alicui dependatur nisi a causis suis. Per hoc enim ostenditur aliquid esse causam alicuius, quia ab illo dependat et existit.

Contra eandem consequentiam capiatur in mente ista negativa 'Pater
35 non est Filius in divinis', est enim vera negativa. Queritur an conceptus subiecti representet vel supponat vel stet pro significato per predicatum. Si dicatur quod sic, ipsa est falsa et opposita affirmativa vera. Si non,

13 est²] magis *add. sed del. P1*
26 igitur²] nobis *add. sed del. P1*

(*in nota 13 est*)] magis] *dub. P1*

igitur cum Deus possit in mente conservare conceptum unum sine alio ipso conservato, representabit tantum unum suppositum et videbitur unum sine alio, et propositum.

Item, verbum divinum est clarum representativum ipsi beato
5 omnium futurorum contingentium aliter omnium requisitorum ad suam beatitudinem, ut multotiens innuit AUGUSTINUS, *Super Genesim ad litteram*, de notitia matutina et vespertina in verbo et proprio genere, et auctoritas multorum catholicorum, nam hic dicunt de verbo divino et de nullo alio divino supposito.

10 Hic adverte quod probabilius est ibi capi verbum essentialiter quam personaliter, sicut Spiritus Sanctus, cum ponitur dari menti, et verbum cum in ipso ponitur mundus creatus, et iterum Spiritus Sanctus cum sibi ascribitur opus incarnationis et similia.

Similiter hic nota quod non bene potest assignari differentia inter
15 notitiam etc. in verbo et proprio genere intellectus illud ponendo verbum esse formalem notitiam etiam que in verbo videri dicuntur. Et si sic, taliter representationem sine aliis divinis suppositis a multo fortiori poterit hoc esse oppositum visionis nostre sine eisdem.

Confirmatur, nam est possibile et ponitur de facto a doctoribus. Et
20 GREGORIUS in suo primo ponit expresse Spiritum Sanctum tertiam in trinitate personam personaliter non solum per dona sua dari menti creature rationalis institute iuxta illud *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*, igitur a simili et poterit esse in proposito de hiis et similibus similiter procedendum et extra
25 visa.

Quod una persona possit diligi sine alia.

5 aliter omnium] *dub. P1* 25 visa] et potentiam intellectus *add. sed del. P1*
26 diligi] intelligi *add. sup. lin. P1*